

Tullus Hostilius est rēx Rōmae, in quā urbe habitat fēmina, nōmine Camilla Horātia. Camilla laeta est, quod spōnsa est virō Albānō. Hic vir est Gaius Curiatius. Quōdam diē, Camilla ad Albam Longam ire incipit, sed in viā videt suōs trēs frātrēs, quī erant trigeminī.

“Quō īs?” Pūblius Horātius, ūnus frāter inquit.

“Albam Longa,” Camilla respondet.

“Nōnne audīvistī?” Publius inquit, “Rēx Hostilius vult oppugnāre Albam Longam. Bellum est!”

“Ēheu!” Camilla clāmat. “Necesse est loquī cum Gāiō!” Camilla celeriter ad Albam Longam it.

Postquam Camilla Gāium videt, inquit, “Necesse est exīre! Hostilius incipit bellum contrā Albam Longam!”

Gāius Cūriātius rēspondit, “Etiam sciō, Camilla, sed exīre nōn possum. Rēx Albae Longae, Mettius Fufetius, cum Tullō Hostiliō convēnit. Nec Mettius nec Hostilius multōs mīlitēs morī vult. Itaque, prō bellō, rēx Mettius iussit mē et trigeminōs meōs pugnāre trigeminōs Rōmānōs.”

Camilla, perterrita, clāmat. Frātrēs suī sunt trigeminī!

Mox trigeminī Horātiī, frātrēs Camillae, ad trigeminōs Cūriātiōs veniunt. Exercitūs Rōmānī et Albānī quoque veniunt ad spectandōs Cūriātiōs et Horātiōs pugnāre. Pugna incipit, et Curiātiī mox interficiunt duōs Horātiōs, sed omnēs Cūriātiī sunt vulnerātī. Pūblius Horātius videt frātrēs mortuōs. Subitō Pūblius scūtum ad terram iacit et currere incipit. Exercitus Rōmānus irātē clāmat. Cūriātiī currunt post Pūblium ad finiendum pugnam, sed, quod vulnerātī erant, nōn possunt currere ūnā. Subitō, Pūblius sē vertit et incipit pugnāre. Cūriātiī nōn sunt parātī et Pūblius duōs interfēcit. Iam tantum Gāius Cūriātius et Pūblius Horātius vivunt.

“Nōlī eum interficere!” Camilla clāmat, sed Gāius et Pūblius audīre nōn possunt. Pūblius Gāiō in capite gladiō pulsāre temptat, sed Gāius scūtō repellit. Sed Pūblius celeriter pedem Gāiī vulnerat. Iam Gāius ad terram cadit. Pūblius eum interficit.

Horātiī Cūriātiōs vincunt! Rōma Albam Longam vincit! Laetī sunt Rōmānī. Sed ūna Rōmana nōn est laeta. Camilla, misera, clāmat frātrī, “Gāius meus est mortuus! Cūr?!”

Pūblius irātus est quod Gāius erat Cūriātius. Cūriātiī fratrēs suōs interfēcērunt! Subitō gladiō Pūblius Camillam interficit. Iam Rōmānī nōn sunt laetī. Rōmānī sunt irātī et volunt Pūblium morī.

Tullus Hostilius iam stat et inquit Rōmānīs, “Pūblius Horātius est hērōs et fert victōriam Rōmae! Horātius nōn debet morī. Sī quis inimicum amat,

quoque inimīca est. Quoque iam omnēs frātrēs et soror Pūblii sunt mortuī. Sī Pūblius mortuus est, pater filiōs nōn habēbit. Itaque Horātius nōn debet morī.” Itaque Horātius nōn moritur.

Postquam Pūblius Hōrātius Cūriātiōs vincit, Tullus Hostilius cogit Albam Longam iuvāre Rōmānōs in bellō. Cum Albānīs, Rōmānī in multīs bellīs vincunt, sed Mettius Fufetius, rēx Albānus, Rōmam ōdit et eam iuvāre nōn vult.

Ōlim, Tullus Hostilius bellum incipit contrā Fīdēnās, urbem Ētrūscam. Ētrūscī sunt hominēs fortēs et Fīdēnae sunt prope Rōmam. Tullus Hostilius iubet Mettium Fufetium ferre exercitum et oppugnāre Fīdēnās cum Rōmānīs. Diē bellī, Mettius Fufetius fert exercitum prope Fīdēnās, sed cum Rōmānīs nōn iungit. Mettius Fufetius tamen iubet exercitum stāre in montibus et spectāre bellum. Sī Rōma vincat Fīdēnās, Albānī iuvent Rōmam. Sī Fīdēnae vincant, tamen, Albānī nōn iuvent, sed domum redeant.

Mox Rōmānī oppugnant Fīdēnās. Fīdēnae sunt fortēs, sed Rōmānī sunt fortiōrēs et incipiunt vincere. Mettius Fufetius celeriter iubet exercitum Albānum oppugnāre Fīdēnās, sed, ubi advenit, bellum finītum est. Rōma Fīdēnās vīcit.

Tullus Hostilius nōn est laetus, quod vīdit exercitum Albānum in monte. Mettius Fufetius Rōmam nōn iūvit. Hostilius inquit Mettiō, "Quod animus tuus erat distractus inter Fīdēnās et Rōmānōs, iam corpus tuum quoque distractum erit." Hostilius iubet Mettium ad currōs alligārī. Iam Hostilius cogit equōs currere in contrāriās partēs.

Post mortem Mettiī, Tullus Hostilius Albam Longam dēlet et cogit omnēs Albānōs fierī Rōmānōs.

Tullus Hostilius ūnum et trīginta annōs est rēx. Hostilius bellum amat, sed deōs nōn amat. Hostilius templa nōn facit, auspicia nōn observat. Quōdam diē, lapidēs dē caelō cadere incipiunt. Edepol! Hostilius caerimonium facere temptat, sed temptat male. Itaque Tullus Hostilius fulmine ictus est. Ēheu!